



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Titulus XL. De consecratione ecclesiæ vel altaris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

ces Principi debita pro ejusdem sustentatione vel pro communi utilitate reipublice procuranda, vel malo ejusdem avertendo. Unde etiam lex imponens & precipiens istiusmodi exactiones non est lex pure pœnalis (qualis lex aliàs juxta communem non obligat in conscientia) sed lex pœnalis mixta, nimirum obligans sub culpa simul; cum pœna adjecta legi, non tollat seu impediatur, si quam habet obligationem ad culpam, uti patet in lege vetante, furtum, homicidium &c. sed neque præsumendum intentionem principum imponentium vectigalia justa ad decentem sui sustentationem vel pro bono communi, quod alià viâ obtineri nequit, non esse

obligare sub culpa, dum ad hoc præcipiendum dirigitur à lege divina & naturali; talem enim rationabilem præsumptionem generare non potest consuetudo, quâ passim pro merè pœnali habentur impositiones tributorum, & sine scrupulo violentur. Quàm diu contrarium fit à timentibus Deum exactè ea solventibus, dum sciunt se ad sustentandum principem malumque commune avertendum obligari, contra quos in præjudicium communitatis adduci non debent pro exemplo facta aliorum. De tributis impostis Ecclesiasticis à Principibus laicis, uti & de gabellis. vide Delb. *de immunit. in indice*, & dicitur à nobis infra.

TITULUS XL.

De consecratione Ecclesie vel altaris.

CAPUT I.

De consecratione Ecclesie, Cæmeterii, Altaris & Calicis.

Quest. 949. Quid veniat hic nomine Ecclesia, & qualiter distinguatur à Basilica?

Resp. Ad primum: Tametsi spectato Etymo nominis Ecclesia significet Christianorum Catholicorum cœtum seu congregationem, *can. 7. dist. 1. de consecrat.* in sensu tamen *hujus tit.* & juxta *can. 8. & 17. dist. cit.* significat ædem sacram, in qua fideles ad audiendum verbum Dei & percipiendâ sacramenta congregantur.

2. Resp. Ad secundum: Tametsi spectando nominis etymon aliqui cum Barb. *jur. Eccl. l. 2. c. 1. n. 10.* & Fagn. *in cit. c. 7. n. 4.* Basilicas vocent eas tantùm Ecclesias, quæ à regibus summisque Principibus extructæ, dotatæ, ut plerumque sunt Patriarchales, metropolitanæ, Cathedrales. Dum tamen hujus aut alterius differentie fundamentum in jure communi requiratur ab aliis communiter promiscuè ferè & pro Synonymicis accipiuntur Basilicæ aliæque Ecclesiæ, cui acceptationi ipsa jura suffragantur ut constat ex *can. omnes Basilica. 16. q. 7. can. non oportet. dist. 42. & c. fin. de Eccles. adif.*

Quest. 950. Quid sit consecratio Ecclesie, & qua inter hanc & benedictionem Ecclesie distinctio.

Resp. Consecratio Ecclesie est ejusdem dicatio seu dedicatio ad cultum divinum speciali ritu à legitimo ministro facta ad hoc, ut populus Christianus opera religionis in ea rite exercet. Reiffenst. *h. t. n. 1.* cum communi. Qualis etsi suo modo dici quoque posset ejusdem benedictio, inter hanc tamen & illam hæc est præcipua differentia; quòd consecratio inhereat parietibus, sive illorum interiori cruxta, quæ sacro oleo linitur appictisque crucibus signatur: benedictio verò inhereat solo

seu pavimento, quod aspergitur aqua benedicta, juxta *Pontif. Rom. tit. de benedict. & consecrat. Eccles.* unde etiam parietibus corruentibus aut etiam solummodò interiùs decrustatis amittitur Ecclesie consecratio. *can. Ecclesiis. 19. dist. 1.* non tamen benedictio. De quo plura in sequentibus ex professo.

Quest. 951. Ecclesia num consecranda ante constitutam & collatam ei dotem competentem; & quænam illa?

Resp. Ad primum: Ecclesia fundanda seu ædificanda non est, nisi priùs competens dos assignata, & si id factum non est, adhuc consecrari licitè non potest, nisi ei de dote provifum fuerit, ita ut ad hæc deinceps fundator, vel qui fecit eam consecrari, ex debito vel quasi contractu teneantur non secus ac juxta *c. 16. de præbend.* qui aliquem SS. Ordinibus curavit initiari, obligatur ei providere de titulo sustentationis. Pro ut hæc habentur *c. 8. h. t. can. nemo. 9. de consec. dist. 1. can. 1. caus. 1. q. 2.* Auth. de SS. Eccles. *§. si quis autem. collat. 9.* ac proinde conceditur contra eum condictio ex *cit. c. 8.* vi cujus ad id etiam laicus fundator à iudice Ecclesiastico compelli possit ut Host. Abb. *Pirh. ll. mox. citandis.* ubi verò id non potest fundator, vel qui eam consecrari fecit, tenetur ad id Episcopus consecrans vel ex bonis Ecclesie suæ, si sine gravi hujus læsione id fieri possit. Arg. *c. Apostolica. de donat.* vel ex patrimonio suo, ut cum Host. *in cit. c. 8. v. tanquam ex debito.* & Abb. *ibid. num. 2. & 3.* limitatur tamen responsio in Ecclesiis mendicantium & Ecclesiis ædificatis in monasterio habente sufficientes redditus. Sylv. *v. Ecclesia 2. q. 2.* Azor. *p. 2. l. 9. c. 3. q. 7. in fine.* Pirh. *loc. cit. in fine.* Reiffenst. *h. t. num. 6.* & DD. communiter, *inc. 1. de censib.*

SS ff 3

2. Resp.

2. Resp. Ad secundum: Dos competens censetur ea, quæ sufficit pro luminaribus *c. 1. caus. 1. g. 2.* & ad honestam sustentationem presbyteri seu parochi cum uno Clerico ministro si parochialis est, aut capella *c. nemo. dist. 1. de consecr. juncta Gl. v. custodum.* & si fuerit Ecclesia collegiata, juxta numerum Clericorum & ministrorum in ea instituendorum & qualitatem collegii *cit. c. caus. 1. n. 2.* habitâ ratione decimarum, oblationum aliarumque obventionum ministris Ecclesiæ de jure competentium. Non tamen ab initio dos tanta requiritur, quæ etiam sufficiat ad hospitalitatem exercendam & jura Episcopalia solvenda, utpote ad quæ præstanda Ecclesia impotens non tenetur, nisi ad pinguiorem fortunam pervenerit. ita Sylv. Azor. Pirh. Reiffenst. *h. cit. Arg. c. cum dilectus, de consuetud.*

Quest. 952. An & qualiter Ecclesia destructa seu execrata, vel etiam amplificata de novo consecranda sit.

1. Resp. Primò: Ecclesiam consecratam tunc censeri execratam seu amisisse consecrationem, ut nova consecratione egeat, non tantum quando totum illius ædificium, id est, quò ad tectum & parietes aut majorem horum partem simul, sive fortitudo, sive consulto collapsum exutum aut dirutum est. Idque, etiam si ex iisdem lapidibus sit re-ædificata, quia tunc nec physicè nec moraliter est eadem Ecclesia, quæ erat antea, ita Abb. in *c. proposuisti h. t. num. 8.* Sylv. *V. Consecratio. 2. g. 4.* Azor. *p. 2. c. 4. g. 5.* Barbof. *de off. & pot. Episc. allegat. 27. n. 13.* Delb. *de immunit. Eccl. c. 2. Du. 2. f. 14. n. 1.* Pirh. *n. 9.* & alii communiter, pro ut sumitur ex *c. de fabrica. dist. 1. de consecrat. V. innovata.* Verùm etiam amisisse consecrationem & iterato consecrandam; dum parietes illius interiores extoto vel majore eorum parte etiam citra eorum ruinam exusti, devastati, abradi; quia, ut dictum, consecratio consistit in interiore superficie parietum Chrismate illita & Crucibus depicta. Abb. *l. c. n. 7.* Sylv. Azor. *l. c.* Pirh. *n. 8.* Delb. *l. c. n. 9.* Secus tamen est, seu non censetur execrata, si alia opera lignea, etiam totum tectum Ecclesiæ, conflarunt, aut aliâ causâ diruta. AA. iidem. Uti etiam juxta probabiliorem contra Innoc. in *rub. h. t. n. 1.* Host. *ibidem.* Abb. *l. c. n. 8.* (quorum sententiam probabilem censet Delb. *l. c. n. 18.* saltem quando ex intentione omnes vel penè omnes parietes reparandi, unus post alium intermisso missæ sacrificio, quasi continuatis operis unus post alium dejecit & reparatur, tenent Sylv. *l. c.* Azor. *l. c. g. 6.* Barbof. *l. c. n. 19.* & *inc. 6. h. t. n. 3.* Pirh. *n. 9.* Reiffenst. *n. 12.* Engels. *h. t. n. 2.* Delb. *l. c. n. 19.* & 20. Suar. *p. 3. d. 81. f. 3. cas. 6.* Laym. *l. 5. tr. 5. c. 5. n. 16.* Wiefn. *h. t. n. 24.* & alii cum Gl. in *c. proposuisti. h. t. V. reconciliari.* Ecclesia non eget nova consecratione, quando non simul, sed per partes minores paulatim deficit, ita successivè, etiam, ut nulla pars ex priore ædificio superlit, modo partes illæ collapsæ statim restaurentur ex ea ratione, quod in eo casu Ecclesia per partes illas minores continuò restauratas semper censeatur eadem non tantum moraliter & per fictionem aliquam, sed etiam juxta veritatem rei, sicut non solum secundum canones & jura, sed etiam secundum veritatem navis, quæ per partes reparatur, est eadem, quæ fuit ante *l. 24. ff. de legat. 1.* sicut eadem est civitas, cujus civibus successivè mortuis alii paulatim substituti per *l. propo-*

nebatur ff. de judic. Idem homo etiam, quò ad Corpus, cujus partes aliquibus quotidie calore nativo absumptis novæ generantur. Idem manet oleum consecratum, cui paulatim deficienti modicum quid olei non consecrati affunditur, consecratione extendente se ad oleum non consecratum affusum, dum sacrum veluti dignius trahat ad se non sacrum *c. quod in dubiis in fine, h. t.* Idem est seu non amittitur consecratio, si decrustatio parietum non fiat simul aut uno die, sed per diem aut hebdomadarum spatium. Delb. *l. c. n. 10.* qui etiam *n. 12.* cum Vasq. *3. p. d. 233. c. 4. n. 34.* ait, multò minùs amitti consecrationem ob solam dealbationem interioris superficie; cum sic crusta, in qua fit consecratio, permaneat, opus tamen esse in hoc casu aliqua reconciliatione aspergendo nimirum partibus illis mox à reparatione aquam benedictam censent aliqui cum Barb. *l. c.* Arg. *cit. can. de fabrica. de consecrat. dist. 1.* quod etsi nullo jure expressum habeatur, esse tamen tutius & magis pium tradunt Host. in *c. proposuisti. h. t.* & Sylv. *V. consecratio 2. g. 2. in fine.* apud Pirh. *cit. n. 9. in fine.*

2. Resp. Secundò. Idem est de Ecclesia consecrata ex post amplificata sive in latitudine sive in longitudine aut etiam amplitudine, ut ea non egeat nova consecratione, si pars addita sit minor veteri remanente, secus si sit eâ major. Delb. *l. c. n. 16.* Azor. *l. c. g. 6.* Barbof. *l. c.* Alleg. *27. n. 19.* Engels. *h. t. n. 2.* Reiffenst. *n. 14.* Arg. *cit. c. de fabrica.* & exemplo olei sacri vel aquæ benedictæ, cui affunditur pars minor olei vel aquæ non benedictæ.

Quest. 953. Consecratio Ecclesiæ an & quando iteranda?

Resp. Ecclesiæ (idem est de altari) consecrationem, ubi de ea facta & per execrationem illius non amissa constat, non esse iterandam, sumitur ex *can. Ecclesiis. 19. dist. 1. de consecrat. & can. de fabrica.* & pro communi quasi regula habent Gl. in *cit. c. V. parietibus.* Sylv. *c. consecrat. 2. g. 4.* Barb. *cit. Alleg. 27. num. 12.* aliisque. Ubi tamen constat consecratam quidem, sed non rite nimirum non adhibitâ formâ præscriptâ ordinationibus Ecclesiasticis, de novo consecrandam; cum defectus formæ actum annullat, & aliquid non fieri & non rite fieri sint paria. Idem est, seu Ecclesia consecranda est, ut Masc. *de probat. concl. 413. & 683. à n. 1.* Barb. *l. c. à n. 5.* Wiefn. *h. t. n. 18.* Si ignoretur, quòd unquam consecrata fuerit, vel etiam de eo dubitetur; cum facta, quale quid est consecratio, non præsumantur; imò præsumantur non facta, eò quòd adhibitâ conveniente inquisitione desuper nihil appareat, neque ex libris antiquis, neque ex instrumentis Ecclesiæ, aut literis inscriptis tabulis marmoreis vel aeneis, neque ex communi existimatione aut fama, testimoniove depositione aliisve indicis, ex quibus aliàs, etiam ex testimonio, unius solius fide digni sufficienter probari possunt ea, in quibus non agitur de damno seu præjudicio tertii, ut Mascard. *de probat. in proem. g. 14. n. 14.* Farinac. *pr. crim. g. 63. n. 26.* Reiffenst. *h. t. n. 10.* Arg. *can. 110. de consecr. dist. 4.* ubi unus testis ad probandum Baptismum esse collatum sufficit in dubio.

Quest. 954. à quo consecranda vel benedicenda Ecclesia?

1. Resp. primò: Consecrari non potest nisi ab Episcopo. *c. nemo. & c. nullus, de consecrat. dist. 1.* & quidem non nisi ab Episcopo proprio illius diocesis,

nis, nisi tamen ab hoc Episcopus alienus habeat licentiam Arg. c. 2. h. t. & si id fecerit, consecratio quidem ab eo facta est valida, peccat tamen & puniendus cessatione per annum unum à missarum celebratione Abb. in cit. c. n. 2. Wiestn. h. t. n. 8. juxta c. Episcopus. caus. 7. q. 1. uti & ipso jure suspensus ab exercitio pontificalium ex Decreto Trid. sess. 6. c. 5. de reform.

2. Resp. Secundò: Sed neque ab Episcopo alteri non Episcopo delegari seu committi potest ea potestas consecrandi; cum non sit potestas jurisdictionis, sed Ordinis Episcopalis c. aqua. 9. h. t. Sylv. v. consecratio 2. q. 1. Azor. p. 2. l. 9. c. 4. q. 1. Pirh. h. t. n. 1. eum communi, adeoque nec suo Vicario generali. ut Delb. de immunit. Eccl. c. 2. du. 2. f. 10. n. 2. citatis S. Antonin. Sylv. Henric. nisi is fortè esset Episcopus aliquis titularis. Potest tamen papa non tantum tali Vicario non Episcopo, aliive simplici sacerdoti, sed & Episcopo nondum consecrato, quin & necdum sacerdoti ex plenitudine suae potestatis committere hanc potestatem consecrandi, etsi ea sit ordinis, cuius ordinarius Minister est Episcopus, ita Avita de censur. p. 5. d. 7. du. 4. Sayr. l. 5. c. 16. n. 31. Henric. l. 9. c. 27. n. 6. Filliuc. Tom. 2. Tr. 1. c. 4. num. 118. & alii, quos citat & sequitur Delb. l. c. n. 4. & seg. qui etiam n. 8. addit, sibi non placere sententiam Sylvii in 3. p. q. 83. a. 3. Sa. V. Ecclesian. 20. Victoris & aliorum docentium, quòd si Ecclesia prius consecrata egeat reconciliatione, Episcopus hanc reconciliationem committere possit simplici sacerdoti. Quòd multò magis dicendum de Ecclesia quae primam consecrationem per execrationem amisit, adeoque necessaria est nova consecratio non sufficiente reconciliatione.

3. Resp. Tertio: Neque jure communi competit benedictio Ecclesiarum non Episcopis. Bene tamen ex privilegio speciali Papae concessio per Leonem X. superioribus Fratrum minorum puta Generalibus, Provincialibus, Custodibus, Guardianis, legato per barbos. cit. alleg. 27. n. 44. Pellizar. Tom. 2. Tr. 8. c. 5. n. 67. Rodriq. Tom. 1. qq. regul. q. 9. a. 2. Mirand. in man. Pralat. Tom. 2. q. 39. a. 1. concl. 3. Et sic etiam competente aliis regularibus communicantibus in eorum privilegiis. Henric. cit. n. 6. lit. D. Laym. l. c. n. 12. Dian. p. 4. tr. 4. resol. 91. Reiffenst. h. t. n. 9. Delb. l. c. n. 10. citatis pluribus aliis, pro ut ipsum constat ex compend. privileg. Societatis V. Ecclesia §. 2. ut nimirum Ecclesias & oratoria cæmisteria sui Ordinis, ubi polluta, reconciliare possint aqua ab Episcopo vel etiam suis praelatis benedicta, ut Delb. citatque ab eo. Quin & solenniter benedicere Ecclesias easdem nunquam adhuc consecratas, & deputare ad peragenda in iis divina donec consecrentur, ut expressè Reiffenst. l. c. limitat nihilominus hoc Leonis privilegium quò ad primum Delb. n. 11. & seg. ad casus ubi Episcopus defunctus aut depositus, vel renuntiavit aut etiam quocunque modo absens seu distans est ad duas dietas (quae qualiter computandæ, non conveniunt AA. ut videre est apud eundem à n. 12.) ab Ecclesia reconcilianda, quamvis hæc ipsa limitatio non ad ipsam reconciliationem, sed quò ad aquam benedicendam à superioribus regularibus restringenda videtur, pro ut colligitur ex compend. privileg. Societ. l. c. dum ibi dicitur; præsertim in locis remotis, ubi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas adire non possunt, quò ad alterum verò, sive quòd solenniter Ecclesias non consecratas solenniter benedicere possint ad casum, dum Episcopi id facere nolunt vel negligunt.

4. Resp. Quarto: De cætero si Ecclesia, quae solum benedicta vel autoritate Episcopi ad divina officia deputata est, violetur, posse eam à simplice sacerdote, etiam regulari, & citra privilegium, quin & citra necessitatem petendi licentiam ab Episcopo, reconciliari ut probatur ex c. si Ecclesia. de consecrat. Eccles. (quamvis decens & consulum eam peteret ab Episcopo ejusve Vicario, qui etiam, ut cum communi D. Thom. Sotus, Henric. Avila, Suar. de Lug. citati à Delb. l. c. n. 20. & 21. ob necessitatem aliquam dispensare possunt, ut in Ecclesia polluta celebrari queat) tradunt Abb. in cit. c. si Ecclesia num. 3. Nav. l. 3. conf. 1. de consecrat. Eccles. Avila l. c. du. 3. Tamb. de jur. Abb. Tom. 1. D. 23. q. 10. n. 11. Barbof. de potest. Episc. p. 2. alleg. 28. n. 17. Dian. p. 4. tr. 4. resol. 91. de Lugo & alii, quos citat & sequitur Delb. l. c. n. 17. qui etiam n. 22. & 23. ait, tantam esse posse necessitatem, ut, si non sit aditus ad Ordinarium, possit in illa Ecclesia polluta, antequam reconcilietur, celebrari. v. g. si in die festo populus non haberet aliam Ecclesiam, in qua missam audiret.

Quest. 955. Quo die & tempore consecrari possit Ecclesia.

Resp. Quamvis Ecclesie rita solenni consecrari non soleant, nisi die dominico aut festo, id tamen de jure necessè non est, sed potest consecrari quocunque die feriato. ita juxta c. 2. h. t. & Pontif. Rom. tit. de benedict. & consecrat. Eccl. Extra tempus tamen interdicti Ecclesiastici. Sylv. V. consecratio. 2. q. 2. Azor. p. 2. l. 9. c. 4. q. 3. & Gl. de off. Episc. c. 28. n. 2. Pirh. h. t. n. 2. Wiestn. n. 13. Barbof. cit. alleg. 27. n. 2. & in cit. c. 2. n. 4. fieri tamen debet sub sacrificio missæ (quod vel ipse Episcopus consecrator, vel alius illo consecrante, celebrat. Gonz. in cit. c. 2. num. 2. Wiestn. l. c.) quamvis hoc ipsum non sit de valore consecrationis, sed solum de præcepto & consuetudine can. omnes. & can. de fabrica. dist. 1. de consecrat. Pirh. n. 3.

Quest. 956. Quid sit de Altaris consecratione?

1. Resp. Primo: prænotandum, altare aliud esse fixum, aliud mobile. Fixum seu stabile illud est, dum tota mensa superior lapidea, super qua sacrificium celebratur, alicui basi ex uno saxo vel pluribus lateribus coctis calce aliove modo stabiliter affigitur, ita ut superior mensa & inferior basis simul componant universum altare, ipsa conjuncturâ principaliter constituyente altaris fixi substantiam. ita ferè Barbof. in c. 1. h. t. n. 2. Unde etiam, ut Idem, ex citato à se Suar. Tom. 3. d. 81. a. 3. f. 5. Lit. D. Si totum altare, nimirum superior mensa simul cum structa ei basi citra utriusque disjunctionem moveretur loco, & alio transferretur, non execrabitur, aut locum habebit dispositio textus cit. c. 1. aliorumque similium; non tamen etiam execrandum separatione superioris mensæ à basi, quando mensa illius prius consecrata imponitur dein structuræ inferiori seu basi, docet Tabiena. v. altare. §. 5. quod ipsum sibi non displicere ait Castrop. loc. mox. citando. n. 9. propendente in item Suar. nisi ex ea fractura fragmentum illud notabilem deformitatem contrahat, de quo paulò post. Altare mobile seu portabile (unde & dictum Viaticum in c. ult. de privil. in 6.) est parvus lapis cum foramine; cui includantur reliquiae sacrae supposito sigillo, etiam solum amovibiliter impositus tabulæ lignæ,

lignea, modò sit tantæ magnitudinis, ut patenam & calicem capiat. Barbol. l. c. n. 3. cum Abb. Unde etiam, ut idem, si frangatur ille lapis, modo dictam magnitudinem retineat, qualemque de cætero formam illud fragmentum retineat, etiam separatam à basi, cui includitur seu superimponitur (cujus posterioris contrarium juxta jam dicta est in altari fixo) non execrabitur, aut nova egebit consecratione. Sylv. v. altare q. 5. Suar. Tom. 3. in 2. p. d. 81. f. 4. Barbol. cit. alleg. 27. n. 25. Laym. l. c. n. 3. Coninck. Valsq. Sa & alii quos citat & sequitur Castrop. tr. 22. d. unic. p. 9. n. 7. ubi tamen addit, quòd si dubium sit, an diminutio seu fractura impediatur legitimam calicis & patenæ continentiam, Episcopum judicare debere & alteri hoc arbitrium committere non posse. Hujus autem inter utrumque altare differentie ratio est, quòd consecratio altaris portatilis respiciat solum ipsum lapidem, & non structuram, cui adhæret ornamentum, consecratio verò altaris fixi respiciat lapidem cum substructa ei basi, adeoque, si ab hac separaretur, execratur.

2. Resp. Secundo; Altare nonsecus ac Ecclesia de jure communi consecrari nequit nisi ab Episcopo, ita etiam, ut ab eo committi quoque ejus consecratio alteri Episcopo nequeat Azor. p. 1. l. 10. c. 27. q. 4. Barbol. de off. & pot. Episc. p. 2. cit. alleg. 27. n. 23. cum communi & juxta clara jura can. quamvis. dist. 68. & can. nullus. dist. 1. de consecrat. cum non minus sit Ordinis Episcopalis quàm consecratio Ecclesiæ. Potest tamen ea consecratio committi simplici sacerdoti à Papa, uti etiam religiosis societatis, versantibus in partibus remotissimis, ubi Episcopus Catholicus inveniri facile nequit, privilegio iis concessio à Paulo III. competere facultatem consecrandi altaria & FF. minoribus ab Honorio III. quin & Provincialibus Minorum Indiarum competere facultatem committendi aliis potestatem consecrandi aras, etiam pro usu alieno, in casu necessitatis, nimirum Episcopis in provincia non existentibus, ab Adriano VI. testatur Castrop. tr. 22. d. unic. n. 35. & Abbatibus cisterciensibus omnibus competere hoc privilegium concessum illis à Gregor. XIV. testatur Rodriq. tom. 1. qq. regul. q. 28. a. 2. Non tamen hæc potestas à simplice sacerdote acquiri potest per præscriptionem aut consuetudinem, etiam immemorabilem. Abb. in c. quanto. de consuetud. n. 3. Azor. l. c. n. 5. dicens esse communem omnium Arg. ejusdem c. quanto. unde ait Reiffent. h. t. n. 35. in fine. non sequendum Engels h. t. n. 9. dum cum de Franchis p. 2. q. 28. n. 3. contra communem DD. asserit, posse consuetudine acquiri potestatem exercendi ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis. Cui non patrociniatur illud; quæ privilegio, etiam consuetudine acquiri possunt; ut patet ex pluribus in contrarium adductis exemplis v. g. dum simplex sacerdos ex privilegio pontificio conferre potest ordines minores & Sacramentum Confirmationis, non tamen vi ullius consuetudinis. item Laicus ex privilegio conferre potest beneficia non tamen vi consuetudinis aut præscriptionis, utpote quæ supponit possessionem capacitatis exercendi actus, per quos inducitur præscriptio aut consuetudo, qualis possessio citra privilegium haberi nequit.

Quæst. 957. An necessarium altari consecrando imponi reliquias SS.

Resp. Quanquam secundum sanctam antiquissimamque Ecclesiæ consuetudinem in consecratione Altaris maximè fixi, eidem includi & sigillo ocludi debeant reliquie sanctorum certæ, si haberi possunt, idque ad minimum sufficienter probetur ex

c. 1. h. t. & oratione quæ dicitur ad introitum missæ; Oramus te domine per merita sanctorum, quorum reliquie hic sunt &c. ut libenter admittunt AA. jam citandi. Non esse tamen id ad valorem consecrationis necessarium, contra Sylv. v. altare q. 1. Azor. p. 1. l. 10. c. 27. q. 8. Durandum & alios apud Castrop. l. c. n. 4. tenent Abb. in c. 1. de consecrat. Eccl. à n. 2. Suar. Tom. 3. in 3. p. d. 81. f. 5. Valsq. d. 233. c. 2. n. 16. Laym. in sum. l. 5. tr. 5. c. 6. n. 9. Castrop. l. c. n. 3. Pirh. h. t. n. 26. Reiffent. n. 40. Sed neque esse de præcepto generali docent AA. iidem, nisi quod Reiffent. dicat sententiam communissimam habere, dictam consuetudinem imponendi reliquias servandam esse de præcepto, pro ut ipsum fateatur Laym. cujus tamen contrarium Castrop. Pirh. aliique citatorum AA. rectè probant diluendo fundamenta adversariorum ostendendo nimirum, ex nullo jure tale præceptum generale erui posse. Siquidem esto, quòd c. placuit de consecratione. dist. 1. desumpto ex Concil. Carthagin. 5. can. 14. contineatur desuper præceptum, illud tamen non poterit esse generale obligans totam Ecclesiam, quippe non latum à Concilio generali, nec receptum ab Ecclesia universali: ad hæc negetur dictum Concilium prohibere altaria sine reliquiis consecrari pro Sacrificio celebrando; sed solum prohibere ea consecrari sine reliquiis, tanquam memorias Martyrum, qualiter constructa per villas & campos merito præcepit deijci, ne essent occasio erroris putantibus ibi quiescere reliquias aliquas aut extare & tanquam vestigia & memorias alicujus martyris ibi passi. Sed neque ex can. 7. septime Synodi Generalis prohibentis templum aliquid sine reliquiis consecrari, inferri possit altaria illius debere continere reliquias dictas; cum sufficiat ad implendum illud præceptum, eas asservari in aliqua parte templi, vel etiam imponi super altari, sicut imagines aliave illius ornamenta ita ferè Castrop. l. c. n. 5. qui etiam ait tali præcepto, dato gratis, quòd aliquid fuerit, merito consuetudine derogatum dum multiplicatis tot altaribus vix inveniri possent sufficientes illis reliquie certæ. Oratio verò memorata sensum conditionatum habet, si ibi sunt reliquie, sive quorum reliquie hic sunt, non verò absolute assertivum, quòd ex ibi sunt, dum etiam additur; & omnium Sanctorum.

Quæst. 958. An & quando in altari non consecrato celebrari possit missa.

Resp. In eo ferè solo casu juxta probabilem & in praxi tutam sacerdos celebrare potest in altari, uti & in patena & calice nondum consecrato, & in paramentis nondum benedictis, quando alius sacerdos, sive bonæ, sive malæ fide in iis jam prius missam celebravit; eò quod ex prima illa celebratione, utpote æquivalente formæ consecrationis aliàs ab Ecclesia præscriptæ, consecrata & benedicta fuerunt, & deinceps talia remanserunt. ita Delb. l. c. f. 11. n. 16. & 17. remittens ad Henriq. l. 9. c. 27. n. 5. in Glof. lit. L. & in Glof. n. 6. lit. F. & P. Avila. de cens. a. 5. d. 7. Du. 3. concl. 2. Sa. V. Ecclesiæ. n. 19. Pasqualius Tom. 1. decis. 45. n. 4. & seq. Portel. in addit. ad dub. regular. V. Ecclesiæ. n. 5. & alios.

Quæst. 959. Qualiter Altaria execrentur, & nova consecratione egeant.

1. Resp. Primò: Altare tam mobile quam fixum continens in se reliquias SS. execrari seu consecrationem amittere, si sepulchro seu à loculo continente eas, effracto sigillo, eximantur reliquie affirmat communis sententia, ut ait Castrop. l. c. n. 6. citans pro ea Sylv. v. altare q. 8. Angel. V. eod. §. 2. Sa. n. 1. Laym.

Laym. l. c. 6. n. 9. Barb. de potest. Episc. p. 2. alleg. 27. n. 25. Bonac. de Sacrament. d. 4. q. ult. p. 9. n. 15. & Canonistas in c. 1. de consecrat. Altar. id tamen nullatenus colligi ex cit. c. asserunt Cönnick. q. 83. a. 3. du. 2. n. 240. Laym. Castrop. LL. cit. cum illud non loquantur de fractione & motione Sigilli, sed solum de fractione & dimiutione lapidis superpositi Sigillo. quin & Pirh. cit. n. 26. ex eo, quod dictum quest. precedenti, impositionem reliquiarum ad valorem consecrationis non requiri rectè inferre videtur, effractione Sigilli ex sublatione reliquiarum non execrari; nihilominus Castrop. et si ipse teneat, dictam impositionem non requiri, ait, quòd, cum consecratio & execratio pendeat tantum ex jure positivo, & communis sententia habeat, fractione & motione execrari Altare, credendum esse, usu & consuetudine sic firmatum esse, à quo recedere sit indecens. pro quo etiam quoque Laym.

2. Resp. Secundo præter ea, quæ dicta quest. antepenult. n. 1. de Altaris execratione per fractionem illius, addendum ferè illud unicum, quod contra Sylv. l. c. Henric. L. 6. c. 28. n. 1. in com. lit. R. Bonac. & Barbofam LL. cit. verius censet Castrop. l. c. n. 8. cum Laym. l. c. c. 6. n. 6. nimirum consecrationem non amitti per hoc, si co-nua Altaris frangantur, eò quod licet facta in his unctio & consecratio, tota tamen Ara ex ista unctio reddita, consecrata, quam proinde amittere non poterit, quin sacrificio in ea peragendo manserit apta.

Quest. 960. An & qualiter Altari fixo execratur Ecclesia?

R Esp. Execrato per fractionem vel motionem Altari fixo, nullatenus Ecclesia execratur, quia distincta consecratione consecrata sunt, ita juxta decisionem c. 1. h. t. quo corrigitur c. motum de consecrat. Eccl. dist. 2. Pirh. h. t. n. 28. Barb. in c. 2. h. t. n. 4. Vasq. Suar. Castrop. LL. cit. Sylv. V. Altare q. 11. Barbof. n. 26. Laym. L. 5. tr. 5. c. 5. in fine. Mirand. in man. prel. tr. 2. q. 39. a. 7. è contra Altare consecratum remanere potest Ecclesia execrata, ut iidem, secus est de Altaris pollutione; hoc enim polluto per sanguinis vel feminis effusionem, Ecclesia polluta est, uti & contra Ecclesia polluta, omnia Altaria in ea fixa polluta censentur; quia polluto quolibet loco Ecclesie contingens totam Ecclesiam, ejusque cæmeterium contiguum afficit Laym. Castrop. Pirh. Barb. LL. cit. ejus ratio est, quòd pollutio individualiter respicit & concernit totum corpus Ecclesie, execratio autem respiciat totum subjectum destructum, sive illud sit Altare, sive Ecclesia. Barb. l. c. qui idem de Alrari portabili, et si amovibiliter statuto, quòd nimirum polluta Ecclesia censetur execratum, sentire videtur contra Sylv. & Armill.

Quest. 961. Calices, patenæ & paramenta sacerdotalia qualiter consecrantur & execrantur, & quid de campanis?

R Esp. Ad primum: quod dictum de consecratione Altaris, idem dicendum de consecratione calicis & patenæ, nimirum quòd de jure communi ea consecratio spectat ad solum Episcopum, & ab eo committi nequeat non Episcopo, neque etiam potestas ea consecrandi acquiri possit per consuetudinem, et si ea acquiri possit per privilegium Apostolicum; quorum ratio est, quia in illa

R. P. Lour. Jur. Can. Lib. III.

consecratione intervenit unctio ob quam intervenientiam ea de se respicit ordinem Episcopalem. & ita tenent Barb. cit. alleg. 27. n. 35. Azor. p. 1. L. 10. c. 28. q. 1. Belliz. Tom. tr. 8. c. 5. n. 102. Rodriq. Tom. 1. q. 19. a. 1. Reiffenst. h. t. n. 41. § 42. Porrè quid dicendum de pixide, in qua hostiæ consecratæ reponuntur, an pariter sicut calix consecrandus, aut saltem benedicendus, sicut corporalia propter contactum immediatum corporis Christi, vide apud Castrop. tr. 22. Punicæ. p. 10. n. 7. ubi et si decentissimum, ut saltem sit benedicta, dicat eum Azor. p. 1. L. 10. c. 27. q. 7. Laym. l. c. n. 6. Vasq. Bonac. Cönnick. & aliis, censet tamen cum iisdem, neutrum esse necessarium de præcepto, eò quòd id nullibi præcipiatur. His non obstante, quòd in pontificali habeatur benedictio specialis pro illa pixide. cum ibi multa habeantur benedictiones, non ut necessariæ, sed ut convenientes.

2. Resp. Ad secundum: calix & patena execrantur, & nova egent consecratione, ubi franguntur aut notabiliter formam perdunt, Sylv. V. calix. q. 2. Barb. l. c. n. 37. Laym. l. c. c. 6. n. 6. cum communi, qui tamen censent calices tornatiles non execrari per amotionem cuppæ à pede, tum quia non videntur forma, quam habent ex prima destinatione mutari, quin statim reparari possit; tum quia, ut ex Suar. Laym. l. c. cuppa calicis tornatilis per se sola videtur consecrata, secus quam in calicibus, qui pedem amovibilem non habent. Non tamen execrantur calix aut patena, ita ut nova consecratione egeant, si longo usu inauratio, etiam interior, eorum penitus sit absumpta. Sylv. Laym. LL. cit. Azor. l. c. q. 6. cum communi; eò quòd non solum aurum, quo inaurantur, sed totus calix & patena consecrantur & consecrata censeantur. Idem tanquam valde probabile, si de novo inaurantur, censent Laym. n. 7. Pelliz. l. c. n. 118. Cönnick. de Sacram. q. 83. a. 3. du. 3. n. 246. Dian. p. 2. tr. 1. miscell. resol. 3. Sa. V. calix. Reiffenst. & alii apud illum id confirmantes à pari, dum parietes Ecclesie consecrati non execrantur, aut de novo consecrantur, si cæmento ab eorum superficie decidente, vel etiam de industria abrafo, novo cæmento inducuntur, vel dealbantur, aut picturis exornantur. Contrarium tamen tenentibus Sylv. l. c. Barbof. n. 38. Mirand. cum communi aliorum ex ea ratione, quòd et si aurum illud sit pars minor calicis & patenæ, censetur tamen principaliter ex contactu immediato corporis & sanguinis Christi, quod dem adversarii negant, consecrationem haberi ab illo contactu, sed a formula consecrationis, opponi posse videtur, quòd calix aliàs non consecratus censetur consecratus, adeoque etiam habere consecrationem ex eo quòd in eo non consecrato celebraverit Sacerdos aliquis.

3. Resp. Ad tertium primò: paramentorum seu vestium ad Missam pertinentium, puta corporalium, purificatoriorum palle, albæ, cinguli, manipuli, calulæ benedictio solennis de jure communi spectat ad solum Episcopum, ut Sylvester V. benedicere. Barb. de off. & potest. Episc. Alleg. 27. n. 42. Rodriq. Tom. 1. q. 19. a. 1. Reiffenst. h. t. n. 49. cum communi, ut nec illa benedictio ab Episcopo committi alteri, aut consuetudine acquiri potest, ut Barbof. l. c. n. 42. Ugol. de potest. Episc. c. 32. n. 4. Posserin. de off. curati c. 2. n. 37. referens respons. congregat. s. rituum & communem. possunt id tamen etiam ex speciali concessione Pontificum,

T t t

tificum,

tificum, puta Leonis X. idem circa diſta paramenta aliaque pertinentia ad cultum divinum, in quibus Chriſma ſeu ſacra unctio non intervenit, ſuperiores ordinis minorum Ordinarii, & in eorum abſentia illorum Vicarii ſeu ſubſtituti, ut referunt Barboſ. *l. c. n. 44.* Rodriq. *l. c. Leza. V. benedictio. n. 8.* Pelliz. *l. c. n. 106.* Mirand. *Tom. 2. q. 40. n. 1.* uti &, ut iidem, Prælati alii regulares cum illis communicationem privilegiorum habentes, & in ſpecie etiam Societatis Jeſu, ut referunt Lezan. & Franchis *ex Congregat. Cardinal. de 13. Martii 1632.* Idque non tantum in uſum propriarum Eccleſiarum, ſed & aliarum quarumcunque, etiam non regularium ex conſeſſione facta ab Innocent. VIII. ſuperioribus Ordinis S. Hieronymi, prout referunt Rodriq. Mirand. Pelliz. apud Reiffenſt. *h. t. n. 52.* Huic poſtremo non obſtante declarat. *Cardin. paulo ante cit.* cum declarationes Cardinalium, utpote non facientes novam legem, aut jus, ſed interpretantes ſolum ambiguum & obſcurum, non poſſint ſpeciali privilegio claro in contrarium derogare, ut cum Franchis *p. 2. q. 28. n. 3.* Reiffenſt. *l. c.*

4. Reſp. Ad tertium ſecundo: paramenta execrantur, ſeu benedictionem amittunt, ut de novo benedicti debeant, ſi figuram priorem amittunt, aut ita lacerantur, & immutantur, ut reddantur inhabilia ad utlum, ad quem deſtinata ſunt. v. g. ſi ex ſtola fiat manipulus, ex corporali purificatorium, ex caſula ſtola, ſi alba perdat manicam, vel ita laceretur, ut eâ uti nequeat Sacerdos. Sylv. *V. benedictio. n. 6.* Barboſ. *n. 45.* Pelliz. *l. c. n. 117.* Reiffenſt. *n. 54.* ex ea ratione, quod unumquodque paramentum benedicatur in ſua propria forma, forma autem det eſſe rei. non tamen execrantur, ſi ſucceſſivè lacerentur, & reſiciantur, aut præcia aliqua de novo eis aſſuantur, multoque minus ſi laventur, de qua lotionem, à quo & qualiter fieri debeat, vide Reiffenſt. *à. n. 55.* de aliis quoque requiſitis ad ſacrificium miſſæ in particulari, uti & de contractu vaſorum ſacrorum vide Caſtrop. *l. c. p. 10. per totum.*

5. Reſp. Ad quartum: Campanæ quoque à ſolo Epifcopo benedicti poſſunt, Abbates tamen ex-ercentes pontificalia poſſe eas benedicere etiam pro Eccleſiis extraneis, ex Averſa *q. 11. §. 13.* habet La croix *L. 6. p. 2. n. 406.* poſſe autem ſarum benedictionem alteri non Epifcopo à Papa, & quidem ſolo committi, quia intervenit unctio ſacri Chriſmatis, habet communis AA. Videtur tamen habere praxiſ in locis pluribus, ut earum benedictio ab Epifcopo committatur, & in ſpecie de Archi Epifcopalibus Coloniaſi & Trevereniſi id dicit, quod ea committatur etiam ſuperioribus ordinum mendicantium etiam Societatis JEſu, habet La croix *l. c.* quem vide, de cætero non poſſe hanc benedictiſ campanas poteſtatem acquiri conſuetudine docent cum communi Barboſ. *l. c. n. 46.* Reiffenſt. *h. t. n. 48.* illud notandum, quod campanæ numerentur à Caſtrop. *cit. p. 10. n. 7.* inter ea, quorum benedictio non eſt de præcepto, eſt formula benedictiſ earundem habeatur in pontificali.

Quæſt. 962. Cæmeterium an, & quo modo conſecretur aut benedicatur?

Reſp. Cæmeterium (qui eſt locus autoritate Epifcopi deſignatus ad corpora fidelium ſepelienda) eodem modo conſecratur aut benedicitur, quo Eccleſia, & Eccleſiâ conſecratâ, etiam cæmeterium ei conjunctum præſumitur conſecratur, cum ſimul cum Eccleſia eodem ritu, ut patet ex Pontificali Romano, ſolet conſecrari, eſt etiam Eccleſiâ conſecrata, ſeorſim conſecrari poſſit & ſolet. ita Pirh. *h. t. n. 30.* Reiffenſt. *n. 29.* non niſi tamen ab Epifcopo, & quidem proprio, vel de hujus conſenſu ab alieno, ut idem cum Sylv. *V. Cæmeterium 3. num. 1.* Azor. *p. 2. L. 9. c. 6. q. 1. c. 6.* & hoc de jure communi, de cætero ob iisdem conſecrari poteſt, à quibus Eccleſia Reiffenſt. *l. c.*

C A P U T II.

De pollutione & reconciliatione Eccleſiæ & Cæmeterii.

Quæſt. 963. An & quando pollui dicantur, & in ſpecie quorum ſepultura polluantur Eccleſia & Cæmeterium.

1. Reſp. Primo: Pollui in genere dicitur Eccleſia, dum manente ejus forma materiali integra, adeoque conſecratione in ea accidit aliquid, quod à loci ſanctitate maximè alienum eſt, & in animis fidelium generat horrorem, ut in ejus deſeſtationem divina in ea celebrari Eccleſia vetuerit, donec ſanctis ritibus fuerit reconciliata Suar. *in 3. p. d. 81. S. 4. §. tertio.* Jordan. *L. 5. tit. 12. n. 142.* Wiefn. *h. t. n. 31.* Unde etiam patet differentia inter pollutionem & execrationem Eccleſiæ, utpote cujus conſecratio per hanc tollitur.

2. Reſp. Ad ſecundum: polluantur per hoc primò, quòd in iis ſepeliatur fidelis excommunicatus juxta *c. 7. b. t.* quod eſt loquatur de Cæmeterio tantum, eadem tamen & prior eſt ratio in

Eccleſia; cum per hoc non minùs inferatur irreverentia Eccleſiæ, quàm Cæmeterio. hoc ipſum tamen intelligendum poſt Concilium Conſtantienſe de excommunicato vitando, ſeu nominatim & publicè denunciato, & notorio percuffore Clerici. Azor. *l. c. c. 5. q. 1. §. 4.* polluitur. Delb. *de immunit. Eccl. c. 2. du. 2. f. 5. n. 1.* Pirh. *h. t. n. 4.* Nav. *in man. c. 27. n. 152.* Barb. *cit. alleg. 27. n. 52.* Suar. *l. c. §. 4.* cum communi. Unde in Germania, aliſque locis ſeprentrionalibus, ubi Hæretici non ſunt nominatim excommunicati, ſed tolerati per eorum ſepulturam non polluantur Eccleſiæ aut Cæmeteria. Pirh. Delb. *LL. cit.* & conſequenter ut Delb. in iis locis excuſantur, qui celebrant in Eccleſiis, ubi Hæretici ſepulti. ſed neque per ſepulturam excommunicatorum non toleratorum, qui in articulo mortis dederunt ſigna ſufficientia contritionis, polluitur Eccleſia, cum etiam ii poſt mortem abſolvi poſſint à cenſuris, adeoque & in loco ſacro, ſepeliri, ibique ſepulci retineri, ita Delb. *l. c. f. 6. n. 11.* ſimiliter non polluitur per ſepul-
ram

ram hominis personaliter & nominatim interdicti, ita ut egeat reconciliatione, etsi alias excommunicatio & interdictum æquiparentur juxta c. 1. de sent. excomm. in 6. & Gl. ibi V. observari. quin & talis in loco sacro sepeliri non debeat juxta c. is cui. eod. in 6. imò etiam ibi sepultus sit exhumandus, si corpus illius ab aliis discerni queat. juxta c. 28. dist. de consecrat. juncta Gl. sui. ex ea ratione, quòd de pollutione ex dicta ratione in jure nihil reperitur, & pœnæ sine textu juris induci aut extendi non debeant, neque æquiparatio in pœnali-bus locum habeat, & præsertim in hoc casu, dum excommunicatio multo gravior sit pœna, quam interdictum, & ita docent Suar. de relig. Tom. 1. tr. 2. l. 3. c. 2. n. 12. Delb. l. c. f. 5. n. 4. & 5. Pirh. l. c. citatis Laym. L. 5. tr. 5. c. 5. n. 8. Zoëf. in comment. h. t. n. 11.

2. Secundò polluuntur Ecclesia & Cæmiterium per sepulturam hominis infidelis, & non baptizati adulti, ita cum communi Sylv. V. consecratio 2. n. 3. Azor. cit. c. 6. g. 1. Avil. de censur. p. 3. d. 7. du. 1. Pirh. h. t. n. 14. Delb. cit. f. 6. n. 1. & sequent. citato de Lago, estque in hoc casu corpus pagani exhumandum, & foras projiciendum, quin & mundandam Ecclesiam per abrasionem parietum vi can. Ecclesiam, de consecrat. dist. 1. Volunt Sylv. & Azor. quod rectius negari videtur Abb. in c. 7. h. t. n. 4. cui inhære videntur Pirh. n. 15. Delb. n. 7. & 8. & alii, qui id ipsum intelligi volunt de Ecclesia, necdum consecrata, utpote de qua loquatur cit. c. Ecclesiam; cum aliàs per illam abrasionem totalem tollatur consecratio, & sic necessaria sit nova consecratio, quod non sit per pollutionem. Per Catechumenorum verò sepul-turam in Ecclesia eam non polluit, communis est DD. sententia, ut ait Wiestn. h. t. n. 33. cum etsi nondum per Baptismum ingressi Ecclesiam, nomine infidelium non veniunt, quia Religionem Christianam non deserunt, ut pagani & infideles, sed amplexantur. de Infantibus autem parentum infidelium sine baptismo mortuis non est par omnium sententia. & quidem in eo facillè conveniunt AA. supra citati; quòd adhuc in utero matris fidelis existentes moriantur, & sepeliantur in Ecclesia unà cum matre mortua, utpote cujus ventris & viscerum pars sunt, & cum qua unum corpus constituunt juxta L. 1. ff. de ventre inspiciendo. non polluat per hoc Ecclesia, pollui tamen illam, si jam nati sine Baptismo mortui in ea sepeliantur, tenent Castrop. T. 11. d. unic. p. 1. n. 1. in fine. Delb. l. c. idemque sentire videtur Pirh. h. t. n. 14. Contrarium tamen, nimirum quòd etsi ob defectum Baptismi in loco sacro sepeliri non soleant nec debeant, illis tamen ibidem sepulcris, is non polluat, & reconciliari non egeat, tanquam benigniorem tenent Jordan. cit. 12. n. 121. Engels h. t. n. 4. quos citat & sequitur Wiestn. h. t. n. 32. & 33. ex ea etiam ratione, quòd fidem Christianam deserere non sinit, ut pagani, alique infideles, neque in se, neque in parentibus; imò horum voluntate ad Baptismum destinati. Neque contrarium sequatur ex eo, quòd in loco sacro sepeliendi non sint; cum etiam decedentes notoriè impœnitentes sacræ sepulcræ inferendi non sint juxta can. quicumque 13. q. 1. item seipfos occiden-tes, alique per leges prohibeantur sepeliri in loco sacro, absque eo tamen, quòd si in eo sepeliantur, is inde polluat.

R. P. Lenr. Jur. Can. Lib. III.

Quæst. 964. An. & quando ob effusionem sanguinis polluantur Ecclesia & Cæmiteria?

1. Resp. Ob effusionem sanguinis copiosam, voluntariam, seu non fortuitam, injuriosam graviter pollui Ecclesiam & Cæmiterium, habet communis, pro ut hæc sumuntur ex c. 4. & c. ult. h. t. c. unic. eod. in 6. & can. Ecclesiam de consecrat. dist. 1. Intelligendumque id ipsum est, etiam si sanguis non effundatur in Ecclesia, aut incideret in pavementum, ut quia recipitur in vase aliquo seu lintheo, vel quia percussus mox egreditur Ecclesiam modò causa effusionis data sit & consummata in Ecclesia, v. g. percussio vel vulnus inflictum in ea. Nav. in man. c. 27. n. 251. Avil. p. 5. d. 7. du. 1. DeLugo. de Eucharist. d. 20. f. 2. n. 52. Delb. de immunit. Eccl. c. 2. du. 2. f. 1. n. 2. Pirh. h. t. n. 11. Wiestn. n. 41. idem est, si existens in Ecclesia vulneretur per scelopum ab existente extra Ecclesiam, quia jam causa effusionis consummatur intra Ecclesiam de Lug. Nav. Civil. Delb. LL. cit. sicut è contra non sufficit ad pollutionem Ecclesie effusio sanguinis facta in Ecclesia, si ejus causa consummata extra Ecclesiam, v. g. vulnerato extra eam recipiente se intra Ecclesiam, & ibi effundente sanguinem. AA. idem. Idem est, si quis vulneretur existens supra tectum, vel in spelunca infra eam (de quo paulò post pluribus) quia sic neque effusio sanguinis sit neque causa illius consummatur intra Ecclesiam.

2. Dicitur tamen primò, requiri, ut emittatur effusio sanguinis aliqua notabilis, pro ut ipsum nomen effusionis indicat, ita ut non sufficiat unius alteriusve guttæ effusio. Gl. in c. ult. h. t. in 6. Abb. in c. proposuisti eod. n. 3. Suar. cit. D. 81. f. 4. n. 2. Azor. p. 1. L. 10. c. 26. g. 13. Avil. de censur. l. 6. concl. 2. Delb. l. c. n. 41. & seq. Reginald. Tom. 2. L. 20. n. 181. Pirh. l. c. multoque minus polluitur per contusionem aut vulnus grave, ex quo nullus sanguis profluit; etsi strangulatio, suspensio seu mors ipsa, de quo mox, pollutionem inducat Card. de Lug. l. c. n. 43. Suar. l. c. f. 4. & L. 5. & de relig. Tom. 1. c. 2. 3. Fagund. in 2. præcept. Eccl. L. 4. c. 4. n. 14. & 16. Delb. n. 45. & seq.

3. Dicitur secundò requiri, ut sit voluntaria, & non fortuita, unde si contingat v. g. ex lapide decidente ab amente, ebrio, alioque non compe rationis, à jocante, vel præter intentionem, non polluat Ecclesia. Gl. in cit. c. unic. h. t. in 6. V. sanguinis. Tolet. l. 5. c. 8. n. 1. De Lugo. Suar. Pirh. LL. cit. Delb. n. 36. & c.

4. Dicitur tertio; ut sit graviter injuriosa & mortaliter peccaminosa, qualis quia non est, dum pueri inter se rixantur, & unus alteri pugno etiam copiosum ex naribus elicit sanguinem, ut de Lugo. n. 45. Delb. l. c. & c. secus tamen videtur in casu, quo majores 14. annis pugnantes effusionem illam sanguinis ex naribus causant, cum percussio per alapam publica in Ecclesia ordinariè censetur graviter ignominiosa & peccaminosa, quod tamen ait Dian. p. 6. tr. 6. resolut. 24. quam sequitur Pirh. h. t. n. 11. generaliter effusione sanguinis è naribus pugno causata non violari Ecclesiam, eò quod nares sint Organum, ex quo nimis facillè emittitur sanguis, Marc. Anton. Var. resol. L. 1. resol. 112. cas. 6. Barb. de potest. alleg. 28. n. 36. Reiffenst. h. t. n. 6. melius videntur rejicere; vel etiam pater vel magister causâ correctionis etiam leviter excedendo modò percuteret aut cederet puerum ad effusio.

T r r t 2

effusio.

effusionem etiam sanguinis, ut Reiffenst. *h. t. n. 15.* vel ob justam sui defensionem servato moderamine inculpatae tutelae, ut Idem & Delb. *l. c.* Vel etiam si superior seu Judice licite emisso de foris telo percuteret existentem in Ecclesia perturbatorem Reipublicae, quem aliter capere non posset, ut Delben. non polluetur Ecclesia, quod autem aliqui volunt per percussione[m] martyris in Ecclesia eam non pollui, sed potius per ejus sanguinem consecrari, id inquam, non placet S. Antonino *p. 3. lit. 12. c. 6. §. 4.* Navarro *man. c. 27. n. 252.* Pirh. *h. t. n. 10.* Avitæ *l. c. du. 1.* Delb. *l. c. n. 37.* & aliis ex ea ratione, quod licet sanguis ille non polluat (unde etiam Tabier. *V. Consecratio. 2. n. 5.* ait, non lavari locum effusi illius sanguinis) polluit tamen ipsa effusio, quia est injuriosa, peccaminosa, imò sacrilega.

Quaest. 965. Qualiter polluantur Ecclesia & cimiterium homicidio.

R Esp. Polluuntur per homicidium voluntarium injuriosum, etsi sanguis non effundatur, sumitur exc. *c. 4. h. t. & can. 19. de consecrat. dist. 1.* factum in Ecclesia, quale quia adhuc censeatur factum in Ecclesia, dum in ea lethali illato vulnere ex eo moritur extra Ecclesiam, etiam post plures menses, ut Delb. *l. c. f. 3. n. 4.* cum tota actio injuriosa & per se illativa mortis redundans in irreverentiam loci sacri posita est in loco sacro, is per eam polluitur, secus ac contingit, si accepto extra Ecclesiam lethali vulnere, ad eam confugiens ibidem moritur, ita juxta probabiliorum. Sylv. *V. consecratio. q. 5. cas. 1.* Azor. *p. 2. L. 9. c. 5. q. 1. §. Si quaeras.* Pirh. *h. t. n. 10.* Item juxta probabiliorum, dictaque *quaest. preced.* polluitur per occisionem alicujus in ea ex odio fidei. cum hæc injuriosa occiso, ipse loco sacro. Sylv. Azor. *LL. cit. Jordan. l. c. n. 8.* Wiestn. *h. t. n. 38.* de Lugo *l. c. n. 54.* Delb. *l. c. f. 3. n. 6.* alique ab eo citati. Item occisione rei nocentis sententia judicis condemnati ad mortem, quia executio illius adhuc injuriosa loco sacro; cum sit contra reverentiam ei debitam *c. 2. de immunit. in 6.* Barbof. *de off. & pot. Episc. alleg. 28. n. 25.* Jordan. *l. c. n. 10.* Delb. *l. c. f. 3. n. 6.* Pirh. Reiffenst. *LL. cit.* Wiestn. *h. t. n. 38.* quitamen rectè cum Jordan. negat eam pollui prolatione sententiæ facta in Ecclesia, eò quod licet prolatio illa sententiæ nulla sit & injuriosa loco sacro juxta *c. de immunit. in 6.* nullo tamen jure expressum sit per eam locum sacrum pollui, uti etiam non polluitur per consilium vel mandato dato in Ecclesia de occidendo. Delb. *l. c. f. 3. n. 3.* Item polluitur dum in defensione sui exceditur moderamen inculpatae tutelae, v. g. defensore occidente suum aggressorem jam exarmatum & fugientem. Sylv. *cit. q. 5. Jord. n. 38.* Wiestn. *n. 36.* Item polluitur, dum qui sui compos ex ira vel desperatione occidit, seu vulnerat lethaliter se ipsum in Ecclesia Delb. *l. c. f. 2. n. 39.* citatis Tabie *V. Consecratio. n. 7.* de Lugo *l. c. n. 54.* Item ex eo, quod ebrius postquam prævidisset se in ebrietate agendum in furorem & periculum occidendi alium, cum ex eo adhuc censeatur voluntaria occisio Wiestn. *h. t. n. 35.* Arg. *Clement. si furiosus de homicid.* Idem videtur de homicidio commisso à furioso instigato ad hoc ab alio, cum illud sit voluntarium respectu instigantis, & huic tanquam morali causæ imputetur.

Quaest. 966. An & qualiter per effusionem seminis humani polluantur Ecclesia & Cimiterium?

R Esp. Polluuntur ex quacumque seminis profusione voluntaria, illicita facta in iis. *c. unico, h. t. c. 6. de adulterio. Can. Ecclesis. de consecrat. dist. 1.* unde perinde est sive sit foeminae, sive maris, ut Delb. *l. c. f. 4. n. 3.* sive fiat per simplicem fornicationem, sive per adulterium aut copulam sodomiticam, sive etiam absque copula per tactus proprios aut alienos. quin & per actum conjugalem extra casum necessitatis habitum in Ecclesia, eò quod licet is exerceatur alias sine peccato, non tamen citra necessitatem exerceatur in Ecclesia sine injuria & irreverentia ei illata Arg. *c. 1. h. t. & c. 2. eod. in 6.* Nav. *in man. c. 27. n. 257.* Barbof. *l. c. n. 47.* Sanch. *de matrim. L. 9. d. 15. n. 7.* citatis plurimis aliis, Pirh. *h. t. n. 12.* Reiffenst. *n. 3.* Wiestn. *42.* secus tamen est: Si conjugales actum conjugalem exerceant in ea urgente necessitate, ut dum in Ecclesia tempore belli aliave de causa diu inclusi ambo vel unus illorum patiuntur periculum incontinentiæ, seu turpis pollutionis; non enim tunc magis per effusionem seminis factam ad conservandam vitam spiritualem, quam per effusionem sanguinis ad servandam vitam corporalem polluitur Ecclesia. Sylv. *V. debitum conjugale q. 3. n. 5.* Covar. *in 4. decret. p. 2. §. 2. n. 3.* Suar. *cit. d. 81. f. 2.* Azor. *p. 1. L. 10. c. 26. q. 15.* Less. *L. 4. c. 3. d. 12.* Pirh. Wiestn. Reiffenst. *LL. cit.* Delb. *l. c. n. 15.* citatis insuper aliis, qui & addit *n. 7. & 8.* ex Sanch. *l. c. d. 73. n. 9.* sufficere ad hoc, ut non polluetur Ecclesia, si conjuges ibi longo tempore esse cogantur; cum attenda fragilitate humana semper censeatur adesse periculum incontinentiæ, si non in particulari, id est, hic & nunc in talibus conjugibus, saltem in genere, quod sufficit, ut interveniente copula non polluetur Ecclesia, quia leges accommodantur ad ea, quæ frequentius accidunt de cætero non pollui Ecclesiam ex pollutione in somnis contingente, etsi prius data ad illam causa, & quantumcunque prævila, adcoque in causa voluntaria & mortifera, & post illam habita desuper delectatio, docent cum Gl. *in cit. c. Ecclesis V. semine.* communiter recepta Avila *de cens. p. 5. d. 7. du. 1.* Lugo. Delb. *l. c. n. 6.* Reiffenst. Pirh. *LL. cit.* multoque minus polluitur per pollutionem, quam Confessarius invitatus patitur inter audiendum confessiones. neque polluitur, dum effusio seminis non est copiosa, sed unius alteriusve guttæ, seu inchoata cum modica distillatione. Pirh. Wiestn. *LL. cit.* Delb. *l. c. n. 3.* citato de Lugo *l. c. n. 55.*

Quaest. 967. An & qualiter polluetur Ecclesia per alia peccata in ea commissa, & specialiter per hoc, quod fuerit consecrata vel benedicta per Episcopum notorie excommunicatum.

R Esp. Ad primum: Ecclesiam pollui spectato jure in casibus in eo non expressis, aut etiam ob delicta quantumcunque atrocia & expressis graviora, utpote ad quæ facienda non est extensio, cum ea sit odiosa, negant Sanch. *l. c. n. 25.* Delb. *l. c. f. 13. n. 1.* Wiestn. *h. t. n. 45.* contrarium quidem de delictis in Ecclesia commissis aequè vel magis gravibus tenentibus Host. *in sum. h. t. n. 9.* Piacet. *in pr. Episc. p. 1. c. 5. n. 5.* non in jure, sed fundantibus se in consuetudine, qualem esse aliquarum Ecclesiarum, testatur Abb. *in c. proposuisti. h. t. n. 4.* sic in

sic in specie si in Ecclesia sine effusione sanguinis in rixa confringatur os, aut reus ad Ecclesiam consecratam confugiens inde ad supplicium contra immunitatem ecclesie extrahatur, non esse opus reconciliatione Episcopali & consequenter non fuisse pollutam asserit Delb. l. c. quamvis addat honestum esse, ut à sacerdote aqua ab illo benedicta iussu Episcopi aspergatur. Idemque num. 3. fieri posse, ubi Catholici recipiunt ab hæreticis Ecclesias, in quibus hæreticorum excommunicatorum non denunciatorum corpora sepulta fuerunt, consuetudine passim vigente, quamvis ut, ubi præsens est Episcopus, vel facile adiri potest, petatur ejus licentia, decens esse, notent cit. AA.

2. Resp. ad secundum, verius est Ecclesiam ab Episcopo notoriè excommunicato per hoc non pollui, quia hæc violatio nullum in jure fundamentum habet, & lex penalis ad alia quam expressi non est extendenda. Ad hæc consecratio ab Episcopo excommunicato sit valida adeoque non iteranda. imo quia pollutio illa est posterior consecratione & hanc supponit, impossibile est, ut eadem actione Ecclesia simul consecratur & violetur. ita Pirh. h. t. num. 15. cum Laym. cit. c. 5. num. 9. contra Sylv. v. benedictio. q. 6.

Quest. 968. an ut Ecclesia, cæmeterium, altare, calix consecratus & sint polluta, & egeant reconciliatione, requiratur, ut per que pollutus dicitur, sint publica & notoria?

1. Resp. primò de homicidio in Ecclesia patratò effusione sanguinis & seminis constare debet, seu esse debent notoria, antequam re ipsa polluat Ecclesia, ita ut quam diu de iis non constat, seu notoria non sunt vel notorie juris, hoc est per confessionem rei legitimam probationem in judicio vel notorie seu evidentiæ facti, nullus pollutionis inducatur effectus, sed Ecclesia inviolata famam retineat in æstimatione hominum, idque etiam, ut signate Delb. loc. mox citand. num. 24. respectu eorum qui quacunq; noticia id sciunt, vel ipsius qui delictum commisit, qui nullo modo tenetur se prodere & manifestare. ita Arg. c. significasti. de adul. cum Gl. in c. unie. h. t. in 6. v. pollui. communiter recepta Sylv. v. consecratio. 2. q. 5. Azor p. 2. l. 9. c. 5. q. 2. Barbos. l. c. allegat. 28. num. 37. Sanch. de mat. l. 9. d. 15. num. 10. de Lugo de Eucharistia d. 2. s. 2. n. 55. Suar. Tom. 3. in 3. parte. d. 81. s. 4. Fagund. l. 4. c. 4. num. 29. Sa. v. Ecclesiam num. 19. alique quos citat & sequitur Delb. c. 2. dub. 2. s. 1. à num. 23. ex ea ratione, quòd, cum consecratio & benedictio Ecclesie sit publica, non nisi publico & notorio actu tolli debeat ut Castrop. tr. 11. d. unie. p. 1. num. 2.

3. Resp. Secundò ad dictam notorieitatem secundum sententiam probabilem (de qua Suar. l. c. cas. 3. dub. 2. & Fagund. p. 1. l. 3. c. 14. n. 34. accedere quoque necesse est sententiam declaratoriam criminis, & quod Ecclesia per crimen in ea commissum polluta sit, ut Delb. l. c. n. 27. quamvis, ut Idem, Cardin. de Lugo num. 55. testetur praxin in urbe Roma esse in contrarium. Rationem etiam responsionis addit Delb. num. 29. & seq. quòd, cum pœna pollutionis Ecclesie sit veluti quædam censura, nimirum instar interdici, ut docent Avila de cens. p. 5. d. 6. concl. 3. in fine.

Sayr. de cens. l. 5. c. 16. n. 1. Palud. Sylv. & alii, censura autem requirat judicis sententiam declaratoriam, ut post concilium constantiense censuratus vitari debeat, & post illud non teneatur interdictum servare, donec per judicis sententiam interdicti censura publicè denunciata fuerit.

Quest. 969. quæ loca Ecclesie eique adjacentia veniant ut Ecclesia censeatur polluta.

1. Resp. primò in ordine ad effectum pollutionis venit totum illud spatium, seu corpus Ecclesie consecratæ vel benedictæ, quod intra rectum illius interioris seu fornicem vel tabulatum & pavementum, ab ara summa ad parietem ei interpositum intercedit, comprehendendo tamen simul chororum & capellas laterales proprio muro à reliquo corpore illius non distinctas, vel si ab eo distinctas, ad eas ex ipso reliquo corpore pateat aditus vel per cancellos prospectus, ad cultum divinum pro muscis & fidelium divina audientium stationibus destinatas, uti & cryptas subterraneas ad eundem cultum vel fidelium sepulturam constructas, ita ferè Sanch. de mat. l. 9. d. 15. num. 25. & seq. Fagund. l. 3. c. 14. num. 46. Barbos. alleg. 27. n. 22. Jordan. lucub. l. 5. tit. 12. à num. 72. Pirh. h. t. n. 16. Delb. l. c. s. 7. n. 1. & 2. & 7. Wiestn. h. t. n. 43. unde,

2. Resp. Secundò: non pollutur Ecclesia si dicta committantur supra tectum secundum vel primum, seu supra fornicem illius, in turri seu campanili, in sacristia, aliisque cameris seu cubiculis ad sacrarum vestium aliarumque rerum Ecclesie custodiam deputatis, in cryphis subterraneis ad alios usus, quam divina peragenda fideliumve sepulturam constructis. Item in Ecclesie aditu extra januam, vel aditis extra Ecclesie murum pro statione vel deambulatione porticibus vel aliis. Glos. in cit. c. unie. v. sanguinis. Anchor. ibidem num. 2. Sylv. cit. q. 5. Sanch. l. c. num. 26. Jord. num. 78. Pirh. Wiestn. LL. cit. ex ea ratione, quod Ecclesie nomen, cum agitur de ejus pollutione, quæ penalis est & odiosa, strictè accipi debeat. Unde his non obstat, quod hujusmodi loca gaudeant adhuc immunitate Ecclesie, ut inde rei à ministris Ecclesie extrahi nequeant juxta l. pateant c. de his, qui confug. ad Eccles. can. 16. & can. 29. caus. 16. q. 4. cum immunitas illa sit specialis favor & privilegium, de quo, dum agitur, nomen Ecclesie sit latè accipiendum. ut Sperell. decis. 3. num. 10. Delb. de immunit. Eccles. c. 16. du. 9. s. 4. n. 6.

3. Resp. tertio de cætero, ubi locus sacer (qualis adhuc dicitur, licet non consecratus nec benedictus, modò autoritate publica Episcopi deputatus ad missæ sacrificium aliæque Sacramenta divinaque officia in eo peragenda, ut Sylv. v. loca religiosa. q. 2. Suar. Tom. 1. de relig. tr. 2. l. 3. c. 9. Abb. in c. ult. de censib. num. 4. Delb. c. 2. du. 2. s. 7. num. 14. juxta c. Ecclesia de immunit. Eccl.) sejunctus est ab Ecclesia consecratæ vel benedictæ, cum adhuc non tantum gaudere immunitate Ecclesie, sed & pollui, si prædicta in eo eveniant, cum ut Delb. l. c. num. 12. & alii cum deputatio talis, Episcopalis benedictioni æquivalat, tanquam juri communi conformius docent de Lugo l. c. n. 60. cum Abb. & aliis, contrarium tamen

tamen in genere seu nullum locum quantumcunque ad ea deputatum sine benedictione non violari per dicta in eo commissa tenentibus apud Delb. l. c. Suar. in 3. p. Tom. 3. f. 3. Sa. v. Ecclesia. num. 13. Avila p. 5. disp. 7. du. 2. Henriq. de penit. l. 2. c. 6. n. 5. in gl. lit. H.

4. Resp. quartò: tamen si cæmeterium (quod pollui eodem modo, quo Ecclesiæ, cum communi tenent Sylv. v. cæmeterium. q. 1. Avil. l. c. du. 2. Nav. in man. c. 27. num. 252. Delb. l. c. f. 7. n. 1. & satis dictum in antecedentibus) contiguum Ecclesiæ polluat pollutâ Ecclesiâ, non tamen se junctum ab ea Delb. n. 6. Pih. b. t. num. 33. pro ut habetur in cit. c. unic. b. t. in 6. ubi etiam, quod, si plura sint cæmeteria, quamvis coherentia modo medio muro se juncta, uno violato, non violetur alterum, licet ab uno ad alterum per mediam partem detur ingressus; quia neutrum est alterius accessorium. dum verò pollutâ Ecclesiâ accessorie pollutum est cæmeterium, reconciliari quoque idem accessorie, reconciliata Ecclesiâ Delb. n. 7. citatis Sylv. Angel. Durand. Avila &c. Porro si in parte illa intermedia effundatur sanguis vel semen illud cæmeterium tantum polluitur cui porta est vicinior. Si verò porta sit perfecte in medio, polluitur illud, cujus gratiâ paries & porta facta est, & si dubitetur cujus causa facta, utrumque cæmeterium pollui censet Pih. n. 34. citatis Sylv. & Azor.

Quæst. 970. num actiones illæ de se alias inductivæ pollutionis, si fiant occultè in Ecclesiâ, vel etiam palam in locis, illi aditis, et si per illas non polluantur Ecclesiâ, nihilominus sint sacrilegia.

1. Resp. ad primum affirmative, ex ea ratione, quod pollutio sit effectus & quasi pœna sacrilegii, adeoque illud supponit, & sic per ordinem ad hanc pœnam constitui nequit sacrilegium, sed de se sunt sacrilegium & si sacrilegium non essent nisi quatenus per illas polluitur Ecclesiâ, pollueretur sæpe Ecclesiâ sine sacrilegio, siquidem homicidium, quando occultè committitur, non habet rationem sacrilegii ut volunt adversarii, quia non polluit Ecclesiâ, nec quando postea evadit publicum, ut patet, & tamen per illud publicum polluitur Ecclesiâ, adeoque sine sacrilegio. proinde dicendum dictas actiones occultè exercitas esse sacrilegia, non quatenus per illas polluitur actu Ecclesiâ, sed quatenus in honorem & reverentiam loci sacri prohibita & per eas habitu polluitur Ecclesiâ. ac ita docent Nav. in man. cap. 16. num. 32. v. 4. Suar. Tom. 1. l. 3. de relig. c. 3. n. 4. & seq. Bonac. de mat. q. 4. p. ult. n. 7. Dian. p. 1. rr. 7. resol. 26. Sanch. de mar. l. 6. d. 11. num. 11. & alii, quos citat & sequitur Delb. l. c. f. 17. n. 4. contra Vasq. 12. Tom. 1. q. 72. a. 7. d. 98. c. 3. n. 6. Pontium de mat. l. 10. c. 10. n. 5. Tolet. l. 5. c. 8. Cönnec & alios apud Delb.

2. Resp. ad secundum: per dictas actiones etiam palam exercitas in campanili, sacristia, monasterio, cellis religiosorum, cameris, porta externa, similibusve locis Ecclesiæ adhaerentibus non pollui ecclesiâ, nec esse sacrilegia, adeoque circumstantias illas non esse exprimendas in confessione, ex ea ratione, quod per locum sacrum in ordine ad committendum sacrilegium non intelli-

gatur nisi spectans ad corpus Ecclesiæ consecratæ vel benedictæ aut immediatè deputatus ad cultum divinum vel sepulturam fidelium. ita contra Zerol. in prax. Episcop. c. 12. q. 27. & alios quosdam docent Sotus in 4. dist. 32. q. 1. a. 3. Azor p. 3. l. 3. c. 27. q. 13. Fagund. prax. 2. l. 4. num. 34. & 39. & alii apud Delb. f. 8. a. n. 1. iis consentientem, qui etiam n. 5. cum Soto & Azor contra eund. Zerol. & Selvann de benef. p. 2. q. 5. 7. n. 2. rectè negat, committi sacrilegium, exercendo in dictis locis, aut etiam in ipsa Ecclesiâ actiones profanas, etiam graviter prohibitas, nisi tales sint, quæ consecrationi vel benedictioni opponuntur, aut cedunt in contemptum loci sacri. de quo vide Delb. l. c. f. 18. per totam.

Quæst. 971. quinam sint effectus pollutionis Ecclesiæ aut cæmeterii.

Resp. sunt terè sequentes: quod in Ecclesiâ aut etiam cæmeterio pollutis, antequam reconciliantur, nemo sepeliri potest, ut constat ex textu claro c. unic. b. t. in 6. neque etiam in Ecclesiâ polluta dici missa aut etiam divina celebrari, ut pariter constat ex can. 1. 11. 14. de consecrat. dist. 1. c. ult. b. t. & ibidem Abb. n. 4. & DD. communiter. unde sacerdos in tali Ecclesiâ mala fide, seu sciens pollutam notorie celebrans missam vel alia officia divina, uti & in cæmeterio tali sepeliens aliquem, peccat mortaliter peccato sacrilegii, ut Sylv. v. consecratio 2. num. 7. in fine Nav. c. 25. num. 83. Henriq. l. 13. de excom. c. 8. num. 5. & l. 9. c. 27. Delb. l. c. f. 11. num. 9. & alii communiter juxta c. ult. b. t. secus est, si hæc fiant in Ecclesiâ vel cæmeterio à sacerdote solo quidem aut paucis scientibus delicta de se inductiva pollutionis in iis commissa, sed necdum notoria esse Delb. n. 10. cum Soto Nav. Hentiq. non tamen incurrit irregularitatem, quia id nullibi in jure expressum, ut contra Host. in c. ult. b. t. cum communi tenent Abb. l. c. Azor. p. 2. l. 9. c. 5. q. 6. Delb. n. 12. Reiffenst. b. t. n. 23. juxta c. is qui de sent. excom. in 6. Neque si celebret in tali Ecclesiâ, incurrit suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, ita ut, si postea exerceat actum sui ordinis & sic violet censuram, irregularitatem contrahat saltem mediatè, ut contra Sylv. Lapum Fabian. Gemin. Nav. Naldum citatum à Delb. n. 13. tenet Idem cum citatis à se Laym. l. 5. rr. 5. c. 5. assert. 2. Avil. de cens. p. 5. d. 7. du. 3. concl. 3. Suar. l. c. f. 81. f. 4. n. penult. Sa. v. Ecclesiâ. num. 21. Soto Fagund. Rodriq. & pluribus aliis elidendo fundamentum, quod adversarii sumunt ex c. Episcoporum. de privil. in 6. cum illud loquatur solum de eo, qui celebrat vel celebrari facit in loco interdito, qualis propriè & in rigore non est Ecclesiâ polluta, & pœna de casu ad casum extendenda non sit.

Quæst. 972. Ecclesiâ consecrata polluta quando à quo & qualiter reconcilianda?

1. Resp. ad primum. debet statim, seu quam primum fieri potest, reconciliari. Pih. b. t. num. 2. Reiffenst. num. 25. Atg. c. fin. b. t. dum ibi dicitur: protinus. addaturque ratione divina laudis organa suspendantur.

2. Resp.

2. Resp. ad secundum: spectato jure, non potest ab alio reconciliari quam Episcopo loci vel de ejus commissione ab alio Episcopo, ita ut hoc officium ab Episcopo simplici sacerdoti committi nequeat, neque ulla consuetudine (utpote quæ corruptela esset) acquiri, non secus, ac dictum supra de ipsa consecratione, pro ut hæc expressè de reconciliatione dicuntur *c. aqua, 9, h. t.* ubi etiam subjungitur ratio his verbis: *quia licet Episcopus committere valeat, que jurisdictionis existunt, que Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare.* Potest tamen ex commissione & privilegio Papæ ea reconciliatio fieri à simplice sacerdote. *Abb. in c. c. 9, h. t. num. 1. & 8. Barbos. de Off. & potest. Episc. Alleg. 28. num. 64. Azor. l. c. 9, f. 5. Rodriq. qq. reg. Tom. 1. g. 19, a. 6. Pirh. h. t. num. 20. Reiffenst. num. 26. cum communi ex ea ratione, quod, licet Papa non possit potestatem ordini Episcopali annexam ex jure divino v. g. simplici sacerdoti conferendi præbyteratum; Diacono consecrandi corpus Christi; potest tamen alteri concedere potestatem Ordini Episcopali annexam de jure humano, qualis est potestas reconciliandi Ecclesiam pollutam Gl. communiter receptam in *Can. 1. dist. 95. v. concedimus. & Abb. in c. c. 4. aqua. num. 8.* Atque ita hoc privilegium reconciliandi Ecclesias sibi subjectas concessum superioribus ordinis Minorum & per communicationem aliorum Ordinum superioribus, quemadmodum dictum supra de benedictione, quæ vide. Porro; cum, ut dictum, pollutâ Ecclesia polluantur omnia altaria in ea fixa, eadem etiam reconciliatio, qua reconciliatur Ecclesia reconciliari censentur hæc altaria.*

3. Resp. ad tertium: fit hæc reconciliatio asperione aquæ cum vino & cinere, & juxta pontificale Romanum etiam cum sale, benedictâ per Episcopum, ita ut juxta *cit. c. aqua.* non sufficiat à simplici sacerdote, benedictâ; quando tamen & ea sufficiat benedictâ à superioribus regularibus, dum hi ex privilegio benedicunt solenniter aut reconciliant Ecclesias pollutas, dictum est supra, ubi actum de consecratione & benedictione earum, Cæterum facienda est hæc reconciliatio sumptibus illius, qui Ecclesiam violavit, si sciatur, quis sit, & sit solvendo. in defectum hujus recurrentum ad loci consuetudinem vel statutum. his quoque deficientibus spectabit ad Rectorem Ecclesiæ, & si is pauper, ad parochianos ac denique in defectu

horum omnium debet Episcopus eam facere suis expensis. *hc cum Abb. in c. 4. h. t. n. 2. & Barbos. in c. penult. h. t. n. 2. Pirh. h. t. num. 21.*

Quæst. 973. Ecclesia non consecrata nec benedicta, si in ea committuntur, per quæ alias consecrata polluitur, à quo & qualiter reconcilianda?

R Esp. potest talis Ecclesia absque solenni benedictione simpliciter solum autoritate Episcopi deputata ad habenda in eo officia divina tuo modo reconciliari, vel potius mundari etiam citra privilegium aut petitam ab Episcopo licentiam à simplice sacerdote, etiam non regulari, asperione aquæ ab eo benedictâ aut etiam aquæ lustralis communis. *Arg. c. ult. h. t. Abb. ibidem num. 3. Tambur. de jur. Abb. Tom. 1. d. 23. g. num. 11. Lugo. l. c. num. 61. Barbos. de off. & pot. Episc. p. 2. Alleg. 28. num. 17. Præposit. in 3. p. 9. 83. a. 3. du. 2. num. 163. Reiffenst. num. 28. Delb. l. c. f. 10. num. 16. & seq. citatis insuper aliis; & quamvis addat decens esse ut consultum, ut expectetur licentia Episcopi, qui etiam, uti & ejus Vicarius, ob causam aliquam necessitatis dispensare potest, ut in Ecclesia polluta celebrari possit, pro ut docent D. Th. in 3. part. q. 83. a. 3. ad 2. de Lugo num. 63. Avil. l. c. d. 7. d. 3. Suar. l. c. f. 9. dicit tamen bene Reiffenst. debere illam statim etiam irrequisito Episcopo à Rectore Ecclesiæ vel alio Sacerdote dictâ aquâ, etiam communi lustrali, mundari. Porro eadem dicenda de cæmeterio solum autoritate Episcopi deputato ad sepulturam fidelium. *Nav. l. 3. conf. 1. de consecrat. Eccles. Delb. f. 11. num. 3.**

Quæst. 974. quid facere debeat sacerdos actu celebrans, si Ecclesia sub missæ sacrificio polluitur?

R Esp. Si polluitur, priusquam canon cœptus, non debet sacerdos ulterius pergere, sed abstinere; si verò polluitur post cœptum canonem, debet sacrificium prosequi, utpote quod jam censetur inchoatum ab ipsa inceptioe canonis, ita docent Suar. *lit. f. 4. de Lugo, num. 61. Cönnick 9. 83. a. 2. du. 1. Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. vers. addendum quartò Castrop. tr. 22. d. unic. p. 8. n. 11. & alii passim.*

TITULUS XLI.

De celebratione missæ, Sacramento Eucharistiæ & divinis officiis.

Quæst. 975. quo loco sacrificium missæ licitè celebrari possit?

R Esp. primò de jure communi citra necessitatem non nisi in loco sacro, hoc est, in Ecclesiis aliisque locis consecratis, aut saltem benedictis vel saltem legitima autoritate ad cultum divinum deputatis. *Laym. l. c. c. 5. in princ. Sanch. l. 9. de matr. d. 15. num. 24. & 36. Suar. cit. d. 81. f. 3. Ca-*

strop. tr. 22. d. unic. p. 8. num. 1. cum communi & certa juxta can. 1. 12. 25. de consecrat. dist. 1. Trident. sess. 22. in Decreto de celeb. miss. & juxta decretum Clem. XI. editum 15. decemb. 1703. quod per extensum legere est apud Reiffenst. h. t. num. 5. Estque peccatum mortale, extra dicta loca sacrificare citra necessitatem, fuitque etiam olim. ita Sanch. Suar. Laym. Castrop. LL. cit. contra Sotum in 4. dist. 13. a. 3. Sa. v. missa. num. 10. Lopez in instruct. consciens. T. 2. c. 79. censentes non esse